



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Ecclesiastes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

bet, quantumvis exigui momenti, toto die verba facturum, tamquam Reipublicæ perniciosus, è ciuitate proscriptus est. tantam enim verborum proluuiem, nugasque tam operosas, quis ferat?

*Garrulitas
prona ad
lapsum.*

Vt omittam, in multiloquio non deesse peccatum, eosque qui inconsideratâ verborum profusione tamquam æstu aut fluctibus abripiuntur, in omne vitium & flagitium temerè deferri: nunc enim in famam innocentium inuolant, nunc etiam cælum conuitiis lacessunt; nunc scurrilibus verbis aures exulcerant, nunc adulatione demulcent; nunc odia ac dissensiones fouent, nunc amicitias dissoluunt; nunc mendaciis grassantur, nunc periuriis; nunc animum nugis detinent, & ad præsentis vitæ oblectamenta pelliciunt (vti mox videbimus) & dum arcana diuinæ prouidentiae rerumque futurarum ancipites euentus susque deque habent, blandâ oratione seductos, inextricabilibus vitæ labyrinthis inuoluunt.

S E C T I O O C T A V A .

E C C L E S I A S T E S .

- VERSUS 14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante se fuerit: & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?
15. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.

M E T R I -